



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Eosdem plerumque esse Fatorum & Fortunæ adoratores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

cui nefas est resistere. Ethnicorum vox est: *Superat quoniam Fortuna, sequamur: Quôq; vocat, vertamus iter.*

CAPVT XXVII.

Nibil FATO vulgi, aut alicui necessitati stellarum esse ascribendum.

I.



Baculi supra memorati ineuitabilis felicitas, suspicio- nem fortè alicui posset gignere *Fati* cuiusdam, cum *Fatis impellentibus adactus* vulgò dicatur, qui vtig; non sponte, nec raro, sed velut ineuitabili necessi- tate, nolens volens vel semper felix, vel semper est

Homer.
Odyss. H.

infelix. Et Ethnicorum prouerbio iactatum est, *quod fatis decre- tum esset, id nemini licere euitare.* Quam opinionem didicit do- cuitque etiam Homerus, cuius verius ita verbatim redduntur;

*Post illic, accidet illi,
Quod fatum Parcaq; graues in stamine nerunt
Nascenti tum, cum matris promergeret alio.*

Et qui arbitrio *Fortune*, quæ *campi domina* dicitur, aliquid, tanquã *Dea*, tribuunt, facilè in *Fati Fortune* cognati errorem incidunt, vt, cum *Næuio*, dicant: *Fato Metelli Romæ sunt Consules*; aut vt, cum *Priamo*, *Fatis* ascribant, quod *Helenæ* esset imputandum; aut, cum *Creonte*, pronuncient, *Fato non repugnandum*: aut cum alio, nescio quo, dicant: *Fata viam inuenient*: aut, cum *Poëtis*, tres *Parcas* esse credant, quas *Cicero Erebi & Noctis filias* fuisse scri- bit, & easdem *Fata* esse existimat; *Hesiodus* nascentibus homini- bus bonum malumque conferre censet. Vnde est illud *Cleantis*;

Cic. l. 3. de
Nat. Deor.

Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.

& istud *Maronis*:

Virgil. 4.
Eclog.

Concordes stabili Fatorum numine Parca.

Madaurensis Philosophus has ita describit. *Tres Parca, tria Fata sunt numero, cum ratione temporis facientia, si potestatem earum ad eiusdem similitudinem temporis referas. Nam quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem. Et quod torquetur in digitis, mo- menti præsentis indicat spacia. Et quod nondum ex colo tractum est, suba- etumq; curâ digitorum, futuri & consequentis seculi posteriora videtur ostendere.* Nomina *Parcarum* sunt *Clotho, Lachesis, Atropos;* quarum.

quarum prima colum tenet; altera net; tertia filum diffringit. Ab hoc filo vita pendet. Hæ textrices anus omnia negotia mortali-um dispensant, apud istos, infallibili quadam necessitate. Huic laqueum torquent, illi nent diadema. Actum est de homine, quàm primùm natus est, rata sunt omnia, si istis credas; sub Ioue natus, certus est de sceptro; sub Mercurio, certus de patibulo.

Præfens est iste scopulus, vt supra quoq; memini me dice-re, ad homines in desperationem, nostra quoq; ætate, prò dolor, inducendos. Qui etsi ipsa *Fati* explicacione supra allata, satis ma-neat repulsus, hîc tamen paulò enucleatiùs est destruendus. Mul-ti enim *Fati* legibus ita addicunt astringuntque omnia, vt liber-tatem arbitrij manifestè tollant. Quidam namque opinantur, *Fa-tum esse naturalem quandam ac necessariam rerum consequentiam*; eamque ex ipsis astris deducunt. *Homines quando Fatum audiunt*, inquit S. Augustinus, *non intelligunt, vsitata loquendi consuetudine, nisi vim positionis siderum qualis est, quando quis nascitur, vel concipitur.* Alij inquirunt, *Fatum esse indeclinabilem rerum seriem, & catenam, per aterna consequentia ordines, semet implicantem.* De primis Poëta ait: *Nota Mathematicis genesis tua.* Secundi seipsos, ac alios se-cum, catenâ illâ implicant. Vtrique in *Fato* fiunt fatui: illi quia astris, quibus sapiens dominatur, nimiam tribuunt potestatem; isti, quia non satis dispiciunt, quale sit inter facta & facienda discrimen. Nam etsi quod factum est, infectum fieri nequit; id tamen, quod faciendum est, non ita faciendum est, vt liberè nō sit facien-dum, aut vt etiam omitti non possit. Tametsi ergo *Fatum*, prout Ethnici sumebant, significabat aliquam in euentis necessitatem, immo etiam necessitatem in ipso Deo; prout tamen ab Aristote-le, & rectè sentientibus accipitur, non solùm non infert necessita-tem in Deo, cum Deus liberè ordinet fatum; sed etiam in agenti-bus liberis creatis non ponit necessitatem, cum causæ proximæ in effectum influentes, influant iuxta modum eius. Quocirca, si sint libere, influunt cum libertate, seu libertate non euersâ. Nulla er-go neq; à stellis, neq; ab vlla serie causarum est *necessitas antece-dens*. Ita est, non lucent in cœlo sidera otiosè; alios in iram, alios in flaccidum quendam languorem; alios lætos, subtristes alios gignunt; nulli tamen sanæ mentis homini ingerunt necessitatem, nulli adimunt libertatem. Potest lætus tristari, & tristis naturâ, lætari: neque sanè quisquam in lætissimos cachinnos effusior est,

II.

S. Augustin.
lib. 5. de Ci-
uit. cap. 1.